



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXXI. De Simonia circa ingressum Candidati in Religionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

C A S U S LXXI.

De Simonia circa ingressum Candidati in Religionem.

Florindus multarum divitarum, & egregiae indolis juvenis; cùm à juventute de statu Religioso eligendo cogitasset, & ad eum amplectendum ab Hilario Abbe variis muneribus alliceretur, petit in Religionem A. suscipi, quæ ei spondet susceptionem, si & ipse vicissim spondeat partem hæreditatis, quæ ipsum concernit. Præstito utrinque consensu, & inito pacto, suscipitur Florindus in eandem, qui absoluto cum laude Novitiatu, emissaque Professione, ita se gerit, ut cùm Monasterium B. Prælato careret, eum in Prælatum postulaverit, cui tamen postulationi annuere non vult Monasterium A, nisi facta sibi aliqua compensatione.

QUÆR. I. An & quando pro receptione Candidati in Religionem possit aliquid exigi & accipi absque Simonia?

QUÆR. II. An absque labe Simoniae liceat offerre alicui munera, aliquid promittere, legare &c. sub conditione, ut Religionem ingrediatur?

QUÆR. III. An Monasterium B. potuerit absque Simonia aliquid exigere pro concessione Florindi in Prælatum eligendi?

QUÆR. IV. Quenam pœna juris incurvantur per Simoniam commissam circa ingressum in Religionem, & an Professio Simoniaca sit valida?

402 **A** 1. Q. R. non posse quidem absque somoniae labe aliquid peti vel accipi tanquam pretium pro ipso ingressu seu susceptione ad statum Religiosum; posse tamen licet aliquid exigil, vel accipi ab ingressuris vel ingressis nudo titulo sustentationis, si Monasterium sit inops, & pauper, & regula ordinis id permittat.
Prior

Prior pars patet; nam cum status Religionis spiritualis sit, daretur temporale pro spirituali tanquam pretium, quod utique simonia-
cum est, & adversus jus divinum.

Posteriorem partem tenent S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. Na-
ver. man. c. 23. n. 106. Sylv. V. Si-
monia q. 15. dict. 2. Suarez. l. 4. c. 17.
n. 18. Cajetan. in sum. V. excom-
municatio cap. 73. Less. l. 2. cap. 35.
dub. 12. Palao D. 3. de Simon. punct.
9. Tambur. de Jur. Abb. tom. 3.
D. 6. q. 9. Laym. l. 4. tr. 10. c. 8.
Gonzal. in c. 18. Wiestn. n. 48.
Schmalzgr. n. 194. Barbos. Mo-
nacell. aliisque complures. Ratio
est, quia sicut in matrimonio car-
nali duo considerari possunt, sci-
licet ratio Sacramenti, & onus
sustentandi conjugem, & fami-
liam, cuius intuitu dos à puella
exigitur, licet pro ipso Sacra-
mento aliquid accipere Simonia-
cum esset: ita etiam in Matrimo-
nio spirituali, seu Religionis pro-
fessione duo considerari possunt,
scilicet status spiritualis, & onus
alendi personam, quorum poste-
rius temporale & pretio æstima-
bile est: ergo si ex hoc capite li-
cet aliquid accipere in Matrimo-
nio carnali, licebit etiam in spiri-
tuali, utpote quod cum priori
pari passu ambulat.

Conf. ex Trident. sess. 25. c. 16.
de Regular. ubi habetur, quod li-
ceat pro viœ, & vestitu Novi-

tii, tempore, quo in probatione
moratur, aliquid ex ejusdem bo-
nis dare, & accipere; & licet
ibi non exprimatur, an etiam de
eo pacilci liceat, non tamen id
ibidem prohibetur: atque adeò,
si tempore probationis licitum est
sustentationem exigere, id ipsum
licitum quoque erit alio tempore
post illam, si eadem sit ex parte
Monasterij indigentia.

Nec obstat hic c. quoniam 40. de
Simon, ubi prohibet Pontifex Mo-
nasteriis Monialium, ne prætextu
paupertatis aliquid exigant; nam
uti notat Suarez. l. c. cum aliis
citt. ibi sermo est duntaxat de casu,
quo Monasterium revera pauper
non est, & nihilominus illo titulo,
& colore aliquid ex'git. Porro
dixi suprà, si Monasterium inops,
& pauper sit. Nam controversia
major est de Monasterio opulento,
& sufficienter dotato; an aliquid
ab hoc peti, & accipi possit?
Ubi

Affirmativam sententiam am- 403
plectuntur Sylv. V. Simonia q. 15.
si autem Monasterium, Sotus l. 9. de
Just. q. 6. a. 2. Tolet. l. 5. c. 89. Ar-
ragon. q. 100. a. 3. & alii, existi-
mant etiam in Monasteriis opu-
lentis, & benè dotatis posse ali-
quid accipi, & exigi ab ingressu-
ris, vel ingressis ex nudo titulo
sustentationis. Rationem dant. 1.
Quia id evincit recepta consue-
tudo præcipue in Monasteriis Mo-
na-

nialium, in quibus videmus, neminem recipi nisi sufficientem pecuniam ad sui sustentationem afferat, vel alia ratione Monasterio proficia sit. Signum ergo est hoc non esse prohibitum jure Ecclesiastico, aut si prohibitum est, consuetudinem adversus prohibitio-
nem jam invaluisse. 2. Quia hoc casu non exigitur temporale pro spirituali, tanquam pretium, sed solum requiritur tanquam conditio, ut secum afferat necessaria ad sustentationem, ne Monasterium per novarum personarum susceptionem gravetur & ut plures sic suscipiantur, quæ aliæ recipi non possent.

404 Verum negativam sententiam tenent alii, idque probabilius, ac verius, cum S. Th. in 4. d. 25. q. 3. a. 2. ad 7. dicente: *Si sine gravamine possit recipi Novitus, Simoniacum est aliquid exigere.* Cajetan. 2. 2. q. 100. a. 3. Rosella V. Simonia n. 1. p. 2. relect. de Simon. n. 12. Suarez. c. 17. n. 10. & D. 22. de censur. S. 5. n. 10. Less. n. 68. Rordiq. t. 2. q. 49. a. 2. Marcant. tom. 3. tr. 10. tit. 6. q. 10. Schmier. p. 2. de Delict. c. 1. n. 107. P. Friderich. tr. de Simon. c. 4. n. 133. Schmalzgr. n. 201. aliisque. Prob. 1. ex citt. c. quoniam 4. b. tit. ubi tanquam simoniacum prohibetur, etiam sub praetextu paupertatis aliquid temporale exigere ab ingredientibus Religionem, ubi latissim

catur, illam quoque exactionem inhiberi, quando petitur aliquid pro sustentatione tunc, cum Monasterium ad hanc præbendam sufficientia habet bona; tunc enim potius singitur, quam revera datur titulus necessariæ sustentationis.

Conf. ex extravag. prim. de Simonia, ubi Urbanus Papa sub excommunicatione ipso facto incurrienda prohibet, ne ab iis, qui Religio-
nem ingrediuntur, aliquid exige-
tur directè, vel indirectè, præ-
ter id, quod ingredientes purè,
& spontè, & plena libertate,
omniq[ue] p[ro]actio[n]e cessante, dare,
vel offerre voluerint.

Prob. 2. ratione; quia cum Mo-
nasteria sufficienter dotata, & Ec-
clesiæ authoritate ita instituta, &
ordinata sint, ut Religiosi gratis
recipientur, & alantur, hoc ipso,
quod aliquis suscipiatur in Religio-
nem jus habet ad sustentationem
ex redditibus Monasterij capiendam,
cessatque jus aliquid exigendi ra-
tione ejusdem sustentationis,
adeoque cum alias titulus non ad-
sit, videtur exactio fieri pro ipsa
susceptione ad statum, & jus Re-
ligionis, quod est spirituale, &
merito Ecclesiastico saltem jure
Simonicum censi debet, ut col-
ligitur ex citt. juribus.

Accedit quod hac ratione eludi-
possit omnis simonia circa ingre-
sum

sum Religionis, cùm Præpositi Monasteriorum; etiam opulentissimorum, dicere possint, se temporale non exigere pro ingressu, sed pro ingressi honesta sustentatione. Unde

Ad rationem 2. in contrarium allatam R. Id solum probare, quòd in tali casu non committatur Simonia juris naturalis, & Divini, non autem juris Ecclesiastici, quod dum exactionem specialiter prohibet Monasterio diviti, & valenti Candidatum alere, non prohibet tantum, ne quid exigatur, ut pretium pro ipso ingressu, cùm hoc prohibitum sit etiam Monasterio pauperi, sed etiam ne exigatur pro alimentis.

Ad 1. Rationem R. eam consuetudinem, quæ est unica ferè ratio sententiæ oppositæ, facere eam satis probabilem, siquidem pro modo titulo sustentationis, & non pro ingressu aliquid accipiatur, vel exigatur, quām consuetudinem non esse damnandam, censent etiam Suarez, Laym, Palao, Pirhing h̄ic n. 59. Wiesbn. n. 48. & alii.

Et quidem in Monialium Monasteriis etiam opulentis posse aliquam pecunia Summam ab ingressuris, vel jam ingressis exigi titulo dotis, universalis totius prop̄modum Orbis consuetudo docet apud citt. AA. quam consuetudinem speciali induito firmavit Innoc. VIII. apud Tambur. de R. P. Leonardelli Soc. Jes.

Jur. Abbatiss. D. 5. q. 2. & 3. Et ratio est, quia quilibet maritus si ve dives, sive pauper sit, Matrimonium contracturus dotem exigere potest à sponsa suo Statu convenientem, *l. fin. C. de dot. promiss.* ergo etiam in Matrimonio spirituali, quod cum carnali pari pal- su ambulat, recte dos exigitur.

Limitant tamen 1. Ne pactum fiat pro aliquo dando pro ipso ingressu. 2. Ne dos exigatur ab omnibus sine discrimine, ne hoc modo pauperes s̄pē magis dignæ, & idoneæ Statu Religionis excludantur. 3. Ne admittatur aliqua inhabilis ex sola spe aliquid temporale ab ea accipiendo; quia talis finis ab admittentibus intentus, isque principalis, foret aliquid temporale; dare autem aliquid spirituale ob finem temporalem extrinsecum, & ut principaliter intentum, Simoniacum est; quia malitia Simoniz in eo consistit, quòd res sacra, & spiritualis indignè, & irreligiosè tractetur, eam in commutationem trahendo pro re temporali.

Ad 2. Q. R. Ex natura rei non 405 esse Simoniam aliquid promittere, legare, munera offerre sub conditione, ut Religionem ingrediari, ut fidem Orthodoxam amplectaris, Sacraenta frequentes &c. Ita Gloss. in C. debet, caus. 23. q. 4. Navar. C. inter verba 11. q. 3. concl. 5. Suarez de Simon. c. 16. n.

Kk k

12.

12. Molinat. 1. tr. 2. D. 93. concl.
 4. Sanch. l. 1. de matr. D. 39. Less.
 l. 2. cap. 35. dub. 12. Laym. l. 4. tr.
 10. c. 8. n. 11. Palao de Simon. D.
 3. pun. 9. Barbos. in c. 30. h. tit.
 n. 6. & 7. Valen. D. 6. q. 16. p.
 3. ver. tertio sequitur &c. aliquae
 complures contra non nullos cum
 S. Antonin. p. 2. tit. 12. c. 2. §. 1.
 Abb. c. cum in Eccles. n. 7. &c. di-
 lectus 2. n. 7. de Simon. & Sylvest.
 V. Religio 2. q. 2. & V. Simonia
 q. 8. dicto 3. Ratio est 1. com-
 munis praxis satis clarè approba-
 ra à SS. Canonibus, C. olim 12.
 de ref. spoliat. C. fin. de testam. c. ex
 parte 31. C. verum 4. de condit. ap-
 pos. & Clement. dudum 2. de sepult.
 ubi generalicer admittitur facul-
 tas donandi, legandi Ecclesiis, &
 causis piis sub conditione hone-
 sta. Et C. cum sit proprium, 2. de
 condit. appos. ubi manu mittitur
 servus, eique libertas conceditur
 ea conditione, & modo, ut Mo-
 nachus fiat, & non aliter, liber-
 tas autem pretio est æstimabilis :
 adeòque conceditur aliquid pre-
 tio æstimabile sub conditione Re-
 ligiosi Statûs suscipiendi. Et
 ratio est; quia ex vi illius do-
 nationis non imponitur donata-
 rio aliqua obligatio, sed ei da-
 tur optio, ut si velit libertatem a-
 dipisci, eligat Religionem, sin mi-
 nus servus maneat, sicut, antea.
 Unde

Ratio R. ulterior est; quia in
 hujusmodi promissionibus, dona-

tionibus, & Legatis non intervenit
 contractus onerosus, imponens
 obligationem absolutam, sed
 solum si rem promissam accipere,
 vel rem donatam retinere velit,
 adeòque id, quod conditione im-
 pleta datur, adhuc gratuitò, &
 merè liberaliter datur, sicut gra-
 tuitò, & liberaliter datur, quod
 te alicui donaturum promisiisti sub
 conditione, si pax sequatur, si na-
 vis ex India venerit, si pater tuus
 mortuus est. &c.

Et hinc fundantur persæpè Ec-
 clesiæ, & Monasteria sub condi-
 tione operis pii exercendi, eri-
 guntur seminaria, & adolescenti-
 bus sumptus Studiorum ministran-
 tur sub conditione, ut Statum
 Ecclesiasticum amplectantur, alio-
 quin sumptus suppeditatos refun-
 dant; quæ utique Simoniaca dici
 nequeunt, siquidem nullam pro-
 priam obligationem imponas, sed
 declares duntaxat intentionem
 tuam limitatam esse, neque velle su-
 stentationem dare, nisi sub condi-
 tione de Statu Ecclesiastico amplecten-
 do; cum enim dominus sis rei
 tuæ, potes illam sub hac, vel illa
 conditione donare, & non aliter,
 ut notat Suarez citt.

Conf. licitum est contrahere
 Matrimonium cum infideli ea
 conditione, ut convertatur, C.
 Nov. opertet 28. cur ergo non li-
 ceat offerre munera sub condi-
 tione,

tione, si v. g. Religionem ingrediatur &c.

In supra dictis ergo promissoribus, donationibus &c. tempore, quod datur, non consideratur, nec datur tanquam pretium, aut motivum, vel finis rei spiritualis, sed potius tanquam liberalis remuneratio actus spiritualis, exerciti in gratiam donantis, vel elegantis, non imponendo obligationem absolutam, ut dictum est.

Nam si res temporalis ea ratione daretur, ut simpliciter imponeretur obligatio donatario vel promissario ad opus spirituale praestandum, non evitaretur Simonia, videretur enim tunc, ejusmodi opus spirituale, ad quod aliquis absolutè & simpliciter obligatur, pretio aestimari, & effici contractum onerosum, v. g. do tibi centum, ea lege, ac obligatio ne, ut Religionem ingrediaris.

Et in hoc sensu intelligi debet textus *can. quam pio 2. cauſ. 1. q. 2.* ubi ad casum, quo Monasterium quoddam Prælato carens ex alio Monasterio Prælatum postulavit, cui petitioni annuere noluit, nisi facta sibi aliqua compensatio ne, respondit Bonifacius Papa, se anxiū esse, & dubium non de dando responso, sed quibus verbis dandum esset, ne multū eos Religiosos contristaret, ac tamen modeſtē, & prudenter respondit,

nullo modo licere talem exacti onem, argumento desumpto ex Apostolorum exemplo, de quibus dicit, nūquā provocāſſe aliquem ad Dei cultum aliquo munieris interventu. Scilicet imponendo illi determinatam, & abſolutam obligationem. Unde ita concludit: Cavete ergo, fratres, quām sit ambiguum, quod petiſtis, consilium, quod quidem ſecundūm vestræ voluntatis propositum, nulla invenimus ratione confirmatum. Verumtamen si vestræ necessitatī adeò est opportunus, quem reperiſtis, dummodo tamen omnis abſit pactio, omnis cefſet conventio, nullāque vestræ Ecclesiæ fiat distractio, accedat gratis, Deo servire incipiat, ſuīque regiminis devotè gemit obsequiu m: Et postmodum vos quaſi ſubſidii gratiā, aliqua ſuā Ecclesiæ munera largiri fratrum ſolatio Romana permittit Ecclesia. Hæc Pontifex. Ex quibus patet etiam responſio ad 3. Q.

Ad 4. Q. R. poenas impositas 406 ob Simoniacum ingressum in Religionem haberi in Extravag. 1. de Simon. Ubi 1. Excommunicantur Excommunicatione majore Papæ reservata dantes ex pacto & recipientes pecuniam pro ipsa receptione in Religionem, & Capitulum, in talem receptionem conſentiens, ſuspenditur ab omni actu jurisdictionem, vel administratio nem requirente.

Kkk 2

2. In-

2. Incurrunt infamiam. *Extr. citt.* saltem si crimen sit notorium notorietate juris, vel facti.

3. Ita recipientes, & recepti, postquam de Simonia convicti, & condemnati fuerint, jubentur expelli ex Monasterio, & detрудi in aliud arctius, *citt. Extr. & C. de Regularibus 25.* Ex quo simul colligitur Professionem quoque ita factam validam esse, atque adeo ita professum ad saeculum ex hoc capite redire non posse, uti constat ex *cap. de Regular. C. quoniam de Monial. C. veniens eod.* & tenet communis cum Suarez c. 57. de Sim. Sanch. Less. Laym. Filliuc. &c. Et ratio ulterior est, quia peccatum simoniae non reddit actum invalidum, sicut non reddunt alia peccata, nisi à jure, vel aliunde irritetur, sic valida est venditio Calicis sacri licet, qui vendit, pretium augeat ratione benedi-

ctionis, & rei sacræ: atqui Professio Religionis Simoniaca non irritatur à jure, sed potius contrarium colligitur ex *citt. textibus*; sicut tamen expressè irritatur acquisitio Beneficiorum Ecclesiastico-rum per Simoniam obtentorum in *Extravag. de sim. & Bulla Pii V.* & ex communi DD. docet Suarez n. 22.

Porro ad incurriendas prædictas juris poenas, requirunt *citt. AA.* ut actus sit consumatus, seu ut professio sequatur, antequam Simoniaca pactio retractetur, vel pretium restituatur; quia cum talis pactio principaliter ordinetur ad suscipiendam Professionem, eâ non fecutâ, non censetur perfec-tè consummata Simonia; & idcirco non incurritur
Excommuni-catio.



CA-